



1. Pappi s. Joh. s. theses de scripturis
Lacra, Argent. 1593.
2. Gerlach s. Steph. diff. de vera ecclesia
Lia, Tabinga 1593.
3. Diff. de traditionibus in
ecclesia, Tabinga 1593.
4. Pappi s. Joh. s. theses de ecclesia
Argent. 1594.
5. Fabri s. Joh. s. theses de peccato
originali Argent. 1595.
6. Marbachij s. phil. s. theses de
iustificatione hominis
Argent. 1597.
7. Diff. de baptismo.
Argent. 1601.

Num. 5.

5

~~37~~



THESES
DE PECCATO ORI-
ginali.

AD DISPVTANDVM
PVBLICE, IN INCLYTA ACA-
demia Argentoratensi propositæ.

De quib. auxiliante DEO.

Præsides

IOHANNE FABRO SS. THEO-
logiæ Licentiato.

Respondebit

M. PETRVS HVBERVS Ulmenfis.



ARGENTORATI
EXCVDEBAT IODOCVS MARTINVS.
Anno clv. lv. xcv.



NOBILISSIMIS, AM-
plissimis, Prudentissimisq; viris,
D. IOAN. PHILIPPO à KET-
TENHEIM, Prætorio: D. IACO-
BO KIBSIO, Consulari: D. IO-
SIAE RIHELIO, Tredecemui-
ro: Argentinenſis Academiae
Scholarchis amplifs., Dominis
ac Patronis ſuis Summè
colendis.

Theſes haſce

Debitæ obſervantiæ

Ergò

Offert Author.

ASSERTIONES

De Peccato originali.

I.



Peccare, ut Cicero scribit in Paradoxis ad M. Brutum, est tanquam transilire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est.

II.

Est igitur peccatum transilitio, seu transgressio lineæ Legis divinæ, in qua homo non deflectendo, vel ad dextram, vel ad sinistram perpetuò & constanter ambulare debet, sicut Sol in lineâ Zodiaci, quæ Eccliptica dicitur, semper sic progreditur, ut nunquam ex ea digrediatur.

III.

Huc congruit illustris illa D. Iohan. descriptio peccati, quæ extat in. i. eius Epistola Cap. 3. ἀμαρτία ἐστὶ ἀνομία, peccatum est, tanquam transilire lineas, & præscriptum Legis Divinæ: seu est: quicquid fit contra Legem DEI, vel defectum habet à Lege DEI, si ve id sit in mente, si ve in voluntate, si ve in corde, si ve in omnibus viribus & membris interioribus & exterioribus.

IV.

Hoc peccatum præter Angelos non nisi in homines cadit, ut potè creaturas ratione præditas, quæ ad Imaginem DEI factæ initio fuerint.

V.

Estq; originale & actuale: quæ distinctio non recens est Augustini commentum, ut Pelagius vociferabatur; sed certa & perspicua scripturarum habet testimonia.

VI.

Vnicum Cap. V. ad Rom. iam inspiciamus. Mors inquit Paulus V. 12. regnavit in omnes, quia omnes peccaverunt. Item V. 19.

A 2

Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Et tamen disertè addit V. 14. etiam qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ, quod actuale peccatum fuisse, extra controversiam est. Quia ergò non omnes peccata habent actualia, & tamen omnes sunt peccatores, habentes peccatum. E. necesse est, aliud esse peccatum, quàm solum peccatum actuale.

VII.

Peccatum Originale, de quo in præsentì disputationem instituere decrevimus, paulò aliter definiendum est in primis parentibus, quàm in nobis. Illis enim contractum fuit voluntate, & actione; nobis autem connascitur.

VIII.

Peccatum Originale in primis parentibus, vel potius primum peccatum parentum nostrorum, fuit actio, qua persuasi à Diabolo, sine voluntate aut impulsu DEI, abiecta eius obedientia, contra mandata DEI fecerunt, vescentes ex arbore interdicta: quo factò Imaginem illam DEI, ad quam erant creati, omnemq; naturæ suæ integritatem & rectitudinem amiserunt, succedente interim horribili totius naturæ suæ deformatione, omniumq; corporis & animæ virium corruptione, & æternæ. Unde non solum in omni generis calamitates corporales, ac ipsam mortem præcipitati fuerunt, verum etiam rei facti sunt iræ DEI & æternæ damnationis: à qua tamen fide in venturum Messiam liberati sunt.

IX.

Fuit igitur depravatio naturæ post lapsum in primis parentibus, tam peccatum propter *avovlav*, quàm pæna, propter prævaricationem.

X.

Lapsum autem istum primorum Parentum, partim necessario, partim contingenter evenisse statuimus. Necessario quidem, absq; tamen coactione, quatenus ille à DEO fuit prævisus, non prædestinatione, vel præordinatione. Prævisio namq; DEI falli

non

non potest: & tamen rebus prævisis nullam imponit necessitatem,
quã sic & non aliter agant.

XI.

Neq̃ tamen movere nos debet, ut *DEVM* peccati authorem
& approbatorem constituamus, quod lapsum primorum paren-
tum præviderit, & illum non prohibuerit, cum prohibere facile
potuerit.

XII.

Est enim *DEVS* ordinis *DEVS*, & propterea contra
ordinem Iustitiæ omnipotentiam suam adhibere noluit. Si enim
DEVS potestate sua prohibuisset lapsum, sublata eius fuisset
Iustitia. Cum enim Iustitiæ munus sit distribuere unicuiq̃ quod
suum est, inobedientibus quidem, & desectentibus à Iustitia
& ad malitiam conversis pœnas: obedientibus verò præmium:
hoc munus nullo exequi modo potuisset, si non iure primùm &
legibus, sed violenta coactione voluntas hominum & Angelo-
rum fuisset inhibita.

XIII.

Contingenter lapsi sunt, quatenus ipsi libera voluntate sua
non minus ad obedientiam, uti potuerunt, quàm ad inobedien-
tiam abusi sunt.

XIV.

Peccatum Originale in nobis est, non tantum obligatio ad
præsentem, æternamq̃ mortem, propter *Adami* & *Eue* la-
psum, sine naturæ humanæ depravatione, corruptione & destru-
ctione, ut Pontificij docent: Nec est tantum depravatio, cor-
ruptio & destructio naturæ humanæ, propter quam tamen homo
non sit reus præsentium & æternarum pœnarum, propterea, quod
nemo propter naturalia puniri debeat, ut quidam disputant.
Sed est privatio Iustitiæ originalis, & prava concupiscentia,
adferens depravationem, corruptionem & destructionem natu-
ræ humanæ nobiscum nascentem, quam comitatur reatus, seu obli-
gatio ad iram *DEI*, complectentem mortem, pœnasq̃ præsentis

¶ *sempiternas, ut Eph. 2. scriptura relinquitur: Erant natura filij irae, id est, rei presentium & aeternarum penarum, damnatiq.*

XV.

Causa Efficiens huius mali, nequaquam est DEVS, sed diabolus primus, qui propria malitia, odio DEI ac hominum depravavit verbum DEI, & mirè fascinauit homines, specie maiorem dignitatem, DEOq. equalem consequendi, sicut testatur Moyses Gen. 3. Item Ioan. 8. diabolus est mendacij pater, h. e. primus depravator verbi Divini. 2. Cor. 11. Serpens Euam seduxit astutia sua. Sic enim appellatur diabolus, qui per illam bestiolam locutus est. 1. Ioan. 3. Diabolus ab initio peccat, id quod non de ipso tantum intelligi debet, sed etiam, quod homines ad peccandum induxerit, & sit fons ac primaria origo peccati.

XVI.

Deinde concurrens & cooperans causa est Eva & Adam, qui sine DEI voluntate, aut impulsu, propria temeritate ac turpi abusu liberi arbitrij, diabolo obtemperarunt, eiusq. illecebris obsecuti sunt, turpiter à DEO creatore suo deficientes, & contra ipsius præcepta agentes.

XVII.

Complectitur igitur hoc malum, & natura depravationem, & Reatum: quorum illud in Scholis materiale, hoc autem formale appellari consuevit.

XVIII.

Depravatio naturæ continet defectum & concupiscentiam: quorum illud est malum privativum, hoc positivum.

XIX.

Defectus est concreta & insita integritatis & rectitudinis in natura, privatio. Cum autem privatio præsupponat habitum, cuiusmodi ille fuerit, videndum est.

Habitus

XX.

Habitus ille per peccatum originis ablatuſ, ipſa fuit Iuſtitia originalis, ſeu, vt Scriptura vocat, Imago & Similitudo DEI, & Integritas, ad quam DEVS hominem initio creaverat.

XXI.

Imago illa DEI fuit talis humane nature, corporis & anime, omniumq; virium, facultatum & actionum integritas & rectitudo, vt homo, quantus & qualis eſſet, cum Iuſtitia & voluntate DEI pulcherrime congrueret: indeq; DEO conditor ſuo ſummoperè placeret.

XXII.

Nam in mente cognitio erat DEI: in voluntate conuerſio ad DEVM & amor DEI: in inferioribus viribus, debitus ordo & ſubiectio erga ſuperiores.

XXIII.

Ipſum quoq; corpus elegans erat, & decorum ſine omni turpitudinis nota, validum & robuſtum, nullis iniurijs obnoxium, aptum anime Organum, omniaq; corporis dona erant ampliſſima.

XXIV.

Iuſtus igitur & Sanctus erat homo, & iuſtè, ſanctèq; ex ſeſe vivere poterat, feliciffimus, & quidem immortalis, DEO charus, & omnibus brutis animantibus formidabilis.

XXV.

Talem igitur cum DEVS hominem primitus creavit, an non rectum feciſſe iure perhibetur? ad ſimilitudinem, & Imaginem & gloriam ſuam? An non ſi talis permaniſſet, nobiliſſimum DEI fuiſſet Opificium?

XXVI.

At verò per peccatum Originis tantis bonis orbati ſumus. Hæ ſunt veſtes, quibus à latronibus exutus & deſpoliatus eſt infelix ille, deſcendens de Ierufalem in Iericho Lu. 10. Rectè igitur exo

ur exclamat D. Paulus πάντες ἠμαρτάνοντες, οὐκ ἐστὶν ὁ νόμος τοῦ θεοῦ.

XXVII.

Concupiscentia novus est habitus, seu pravitas illa, quae per lapsum primorum parentum humanam naturam invasit: nimisrum πληγαὶ illae, quas inflixerunt latrones viatori, & ἠαυθὺν reliquerunt.

XXVIII.

Vocabulum autem Concupiscentiae hic usurpatur, pro omni illa ἀλαξία, quae in universam naturam, omnesque potentias, vires & facultates eius se insinuat, quo sensu Paulus desideria carnis Gal. 5. vocat, & inquit: Caro concupiscit adversus spiritum, quod idem est cum illo Rom. 8. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐστὶν ἐχθρὰ ἐπὶ τὸν θεόν.

XXIX.

Concupiscentia igitur illa non solum hominem carne & spiritu inquinatum reddidit, sed penitus corrumpit & depravat, ut nihil in eo permanserit sanum & integrum, à vertice Capitis, ad imum usque calcem.

XXX.

Et quemadmodum spongia sicca aquam ita imbibit, ut ne minimus quidem floccus eiusdem humoris expers maneat. Ita pravitatem & iniquitatem, natura nostra hausit: & haec peccati lepra, quicquid in homine bonum fuit, penitissime peruasit & vastavit.

XXXI.

Hinc ipsa mens, suprema animae facultas tantam caliginem contraxit, ut nequidem ante pedes posita, perspicue cognoscat, nedum DEVM agnoscat.

XXXII.

Voluntas autem à DEO sic est aversa, ut non modò non sit amplius conformis voluntati Divinae, sed eidem etiam contumaciter repugnet, inclinata non ad bonum, quod DEVS probat, sed ad malum, quod odit.

Omnes

XXXIII.

Omnes habitus mentis & voluntatis, omnes affectus cordis, omnes appetitus, motus & actiones naturales redditæ sunt vitiosæ. Nihil vspiam sanum, & εὐνομον relictum est.

XXXIV.

Quin ipsa etiam corporea substantia non tantum rea est coram DEO, sed intra se se continet peccatum, h. e. venenum pestiferum, impurum, DEO displicens, damnatum, quod omnibus partibus, etiam minutissimis, immixtum, & vt sic dicam, incorporatum est, seu in substantiam hominis abiit.

XXXV.

Hinc fit, vt nuditas hominis, quæ maximum erat eius ornamentum, iuxta DEI fabricationem, summa nunc facta sit deformitas, ita vt contegenda sint membra vestib., ac pro meris beluis iurè habeantur, si qui nudatis omnib. corporis sui partibus iam in mundo palàm incedant.

XXXVI.

Deindè ipsa hominis externa forma, non est tam elegans, venusta & suavis, sicuti in integritate extitisset.

XXXVII.

Intus verò corpus, non eum habet vigorem, quem habere debebat. Et hoc pacto corpus hominis mille morbis obnoxium & expositum est.

XXXVIII.

Postremò dira mors, non omnem tantum vigorem ac motum edimit corpori, sed horribiliter insuper totum corpus destruit, ac penitus carnem & ossa depascit, conterit, atq; in pulverem teræ, vt à DEO prædictum est, redigit. Gen. 3.

XXXIX.

Atq; ita homo totus peccator constitutus est, impius & iniustus, qui ex se, naturalibusq; viribus suis non agere possit,
B nisi

nisi malè, cum ipse malus sit, ne minima quidem Liberi arbitrij particula relicta, qua se ad *DEVM* convertere, & ad gratiam applicare possit, mortalis, *DEO*q; abominabilis, & detestabilis, factus est, cuius auctoritatem vilissima etiam animalcula nihili faciant.

XL.

Hæc est imago *Adami terreni*, quam portamus pro imagine *DEI*, maculata tunica carnis, quam gerimus pro vestitu deaurato; Hoc est malum posterum, quod privationi boni successit, adeò occultum, ut nisi *DEO* revelante non cognoscatur, tam profundè in penitissimis naturæ nostræ recessibus latens, ut humanæ mentis acies nunquam illud satis contueri: nedum in lingua prodignitate detestari queat.

XL I.

DE RE- Et hæc quidem de materiali peccati originis. Sequitur de
ATV. Reatu, qui est obligatio ad penas, tum temporales, tum æternas.

XL II.

Pæne temporales, sunt omnis generis calamitates in genere humano, publicæ & privatae; cum tristissima animæ & corporis divulsione, ac corporis destructione.

XL III.

Pæne æternæ sunt, Ira DEI, quæ ignis est consumens; Tyrannis & Imperium diaboli; & æterna damnatio.

XL IV.

Atq; huiusmodi pæne stipendium sunt & finis, imò effectus peccati nos circumstantis.

XL V.

*Reatus hic non est alienus, vel imputatus, sed omninò proprius. Nascimur. n. filij iræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum Eph. 2. Concipimur ex immundo semine & in iniquitate: & imaginem terreni *Adæ* circumferimus, & malum illud, quod nos reos facit in carne, & in mēbris nostris habitat. &c.*

Perseptis

XLVI.

Perspectis igitur causis peccati originalis, de eius quoque transfusione à parentibus in filios dicendum aliquid erit.

De Trans-
fusione
peccati.

XLVII.

Ambrosius Catharinus Episcopus Minorienfis, natione Italus: & Albertus Pighius Germanus, Præpositus Traiecten-
sis, non actionem tantum, quæ prorsus transferit, sed & qualita-
tem morbosam, ac vitiosam, quæ in semine, ac carne inest ab
vna persona in aliam transmitti negant: sed dicunt, peccatum ad
posteritatem Adæ transmissum esse reatu tantum & pena.

XLVIII.

Verum sunt alij, & quidem nobiles Theologi, qui transfusionem peccati ab Adamo non ad reatum tantum, sed ad maculam transferunt, contagione ad nos derivatam.

XLIX.

Quam sententiam & nos divinis oraculis, rationi, & ipsis
experimentis magis consentaneam iudicamus.

L.

Indignum est enim Divina iustitia, ut eum puniat, qui
culpa vacet. Non igitur Reatus tantum in nos migravit, sed &
culpa & macula peccati Adæ ad nos pervasit.

LI.

Hoc Paulus testatur cum ait: per unum hominem peccatum
intraſſe in mundum; nam solum reatum nemo rectè peccatum
dixerit.

LII.

Addit: In omnes homines mortem pervagatam esse, quan-
doquidem omnes peccaverunt. Igitur omnes, qui mortem, aliasque
penas luunt, peccato infecti sunt. Nemo enim ob hoc peccare dici-
tur, quod det penam peccati.

LIII.

Addit: per inobedientiam unius, peccatores constitutos esse

B 2 multos.

multos. At nemo peccati alieni luens pœnam, ipse peccati expers,
dici potest peccator.

LIV.

Non igitur vel peccatoris, vel peccati nomine solus Reatus
accipi debet; sed & macula, & vitiositas, & ipsa corruptio, quam
ex matris utero afferimus, quemadmodum David fatetur, se in
iniquitate, & in peccato conceptum esse.

LV.

Paulus quoq̄, quos peccatores vocat, eos prius dixit impios
& inimicos DEI: clarè affirmans, omnem hominem ante recon-
ciliationem impium esse, & inimicum DEO. Quibus vocabulis
non Reatus solùm, h. e. obligatio ad pœnam significatur: sed culpa,
& macula, & deformitas animæ, & qualitates vitiosæ ad actiones
vitiosas inclinantes.

LVI.

Has qualitates à primo ortu insidere in homine, effectis
ipsis iudicari potest.

LVII.

Neḡ enim mens nostra ea prorsus videt, quæ Spiritus sunt
Divini: & quæ videt, cupiditate mala vincitur, ut ne persequatur.

LVIII.

Vires quoq̄ hominis inferiores in tantum vitiatæ sunt, ut
non possint non repugnare Legi DEI.

LIX.

Quemadmodum Paulus inquit 1. Cor. 2. hominem anima-
lem non capere, quæ Spiritus sunt DEI. Et Rom. 8. Corporis
studium ac prudentiam inimicitias esse adversus DEVM, cuius
legi nec pareat, nec parere possit. Et ad Gal. 5. Carnem &
Spiritus tam contrarijs & pugnantijs studijs & cupiditatibus
constare ait, ut non quæcumq̄ velimus, ea faciamus. Et Eph. 5.
hortatur, ut Spiritum mentis suæ renoventur, ac novum hominem
induant;

induant, conditum diuinitus eum iustitia ac vera sanctitate. Quibus verbis significat, mentem eorum corruptam esse, quæ renovatione egeat.

LX.

Cum igitur & mens hominis errore de reb. diuinis multo sit implicita: Et voluntas pronitate in malum incredibili sit imbuta: & omnes vires pugnent cum lege DEI acerrime. An non hæc satis indicant, maculam & vitiositatem hos fructus producentem, penitus nobis insedisse ab origine, & in viscerib. nostris prorsus inherere.

LXI.

Sed age, dispiciamus etiam, quonam pacto malum hoc, tam arcte nos circumstans, tollatur.

LXII.

Hic sciendum, in Baptismo infantium, vel in conversione adultorum deleri quidem peccatum originis: sed non totali deletione, seu abolitione fundamenti, seu materialis, .i.e. ipsorum defectuum, & pravarum inclinationum. Non enim subito ita prorsus tollitur vitiosa concupiscentia, ut re ipsa omnes peccati reliquiae absorbeantur.

LXIII.

Sed deletur primum, quoad totalem remotionem seu destructionem Reatus, qui est formale peccati regnantis, id est, actu damnantis, seu actu obligantis ad penas æternas. Et hoc ipsum significatur, quando dicitur peccatum originis deleri imputatione, seu remissione, seu condonatione, quia in remissione peccati, vniuersaliter tollitur formale peccati regnantis.

LXIV.

Deinde verò deletur etiam materiale, seu fundamentum remissi peccati inchoatione abolitionis fundamenti, seu materialis .i.e. mortificatione vitij quod reliquum est, & inchoatione sanationis malorum & vulnerum, quæ hac in vita manent. Verum inchoata hæc sanatio complebitur, seu integra erit in vita æterna, prorsus abolitis iam in morte corporum peccati reliquijs.

B 3

LXV.

Cum igitur peccatum originis sit tam abominabile inquinamentum carnis et spiritus, gravissimè errant Scholastici Doctores, qui illud solummodo primi primorum hominum peccati, sine lapsus imputatione, sine vitio proprio definiunt.

LXVI.

Et qui illud a consuetudine, vel exemplis addisci aut contrahi nugantur.

LXVII.

Quemadmodum olim Pelagiani asseverabant, peccatum originis non esse aliquam naturæ depravationem, sed imitationem tantum, qua in similitudinem prævaricationis Adæ peccemus.

LXVIII.

Et etiamnum hodiè Anabaptistæ asserunt, dum infantes ab originis peccato alienos pronunciant: atq; ex hoc falsissimo præsupposito paedobaptismum deinceps, ut superfluum æversantur.

LXIX.

Cum tamen Scriptura semen ipsum, è quo formamur, huius abominandi mali feditate pollutum esse, perhibeat.

LXX.

Siquidem concipimur & nascimur in peccatis, immundi item ex immundo concepti semine, & in viscerib. maternis iniustitiarum velut aquam haurientes. Psal. 50. Iob. 14. & 15. C.

LXXI.

Atq; sic propagatione proprium nobis fit peccatum, quod primæ suæ originis respectu alienum dicitur.

LXXII.

Præterea non minus turpiter hallucinantur, qui peccatum originis definire volunt levi ac momentaneo quodam accidente, quod naturam hominis incorruptam, incontaminatamq; reliquisset, quodq; velut in superficie duntaxat hærens, abstergi facile & hac in vita separari ab homine, auferriq; posset.

Vic

LXXIII.

Vt & illi, qui peccatum originis Substantiam esse, nostra
etate contendunt, & inter peccatum & corruptam hominis Sub-
stantiam, nullum relinqui discrimen.

LXXIV.

Nam si hoc locum haberet, sequeretur, vt aut diabolus non-
nullarum Creaturarum opifex & Creator esset, aut si is honor
soli DEO deberetur, DEVS author diceretur peccati. Præterea
Filius DEI VERBUM, peccatum assumpsisse diceretur,
dum Caro factus est, & nostram assumpsit naturam. Adhæc re-
nouaretur, & regeneraretur per Spiritum S. non homo, sed pecca-
tum. Cum tamen regeneratio præsupponat Substantiam, quæ à
DEO condita, per diabolum corrupta est. Tandem resurgeret non
hominis Substantia, neq; homo oculis suis videret DEVM, & in
carne sua, circumdatus, pelle sua viueret in æternum, sed quod ab-
surdissimum, peccatum.

LXXV.

Et hæc quidem de peccato originali. Sequuntur iam actualia,
quæ ex illo ceu fonte profluunt, & sunt, vel remissibilia, vel irre-
missibilia: quorum illa comprehendunt sub se peccata venialia
& mortalia: hæc verò peccatum in Spiritum S., quod coniunctum
habet blasphemiam & conuicium, & finalem impenitentiam &
desperationem: sed de his specieb. peccatorum aliàs etiam dicitur.

Iam toto pectore precamur DEVM, vt peccata nobis
remittat, & ad finem vsq; à lapsibus nos inculpato custodiat &
conseruet. Ipsi sit gloria & Imperium in Secula Seculorum,
AMEN.

FINIS.

EXXIIII

The
... ..
... ..

EXXV

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

EXXVI

Et hoc
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

FINIS




59 635

ULB Halle 3
004 830 156



1019 Hi. 79






Num. 5

5

37

THESES
DE PECCATO ORI-
ginali.
AD DISPVTANDVM
PVBLICE, IN INCLYTA ACA-
demia Argentoratensi proposita.
De quib. auxiliante DEO.
Præside
IOHANNE FABRO SS. THEO-
logiæ Licentiato.
Respondebit
M. PETRVS HVBERS Vlmensis.



ARGENTORATI
EXCVDEBAT IODOCVS MARTINVS.
Anno clv. lv. xcv.

